



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Nic. Clenardi Epistolarvm Libri Dvo**

**Clénard, Nicolas**

**Antwerpen, 1566**

Nicolavs Clenardvs D. Iacobo Latomo Praeceptoru Svo, S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70781](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70781)

phi Antuerpiensis, facile curauerit vt ad me perueniāt. Quotidie Hispalim isthinc nauigant mercatores, Antuerpię minimo negotio effecerint, vt abs te responsum habeam. Præterea & in aula istic Marię non defuerit occasio. Habito Granatę in Alhambra: arx est vrbis, vbi moratur D. Marchio, qui vrbi præsidet.

NICOLAUS CLENARDVS D. IACOBO  
LATOMO PRÆCEPTORI SVO, S. D.

ET SI literas Arabicas principio sequutus sum, vt quædam rectius intelligerem in Hebræis propter linguę affinitatem: Nunc tamen longè aliò mea spectare cœperunt hæc studia. Dum Granatę cum meo præceptore Arabico lectito Alcoranum, & quotidie deplorandos gentis illius contemplor errores, cogito non semel, quàm indignum sit nouem iam seculis tantam cladem accepisse nostram religionem, & nullum interim exortum, qui cum Machometistis in arenam dogmatum descenderet. Non quòd defuerunt apud Latinos, qui calamo sectam impiam persecuti sint: Sed quid ad Machometistas, si nos Latine disputemus? Quid ad hostes, si ensẽ vibremus quem nõ sentiant? Neque enim tantum disputandũ censeo, vt nostros tutos seruemus, ne præcipites abeant in fallam religionem; verum etiam ad nos pertinere arbitror, quòd tot orbis nationes disiectæ à Christo pereant. Nec ob id dissimulandum est vulnus quod vetus sit: sed quando vulnus est graue, facienda est medicina: id quod sine peritia linguę Arabicę fieri non potest. Quid ergo? Parare volo qui lingua & calamo valeant Arabico: vt vel coram miscendis colloquiis vel absentes queant cum illis cõfligere. Ego per gratiam Dei, etsi bonam tẽporis partẽ impendi Marchioni gręcissanti, reliquis tamẽ horis id cõsecutus sum vt cū præceptore quauis de re confabulari ut cunq; possim, sic certè vt alter alterum intelligat. Neq; enim alius sermo inter nos habebatur quàm Arabicus. An putas

M. noſter id me proponere, vt annum doceam Arabicè,  
 & nemo diſcipulorum loquatur Arabicè? Alia ſunt quæ  
 molior, & meo exemplo ſtudebo, ſi Deus voluerit, pie-  
 tatis aliquem fructum è linguarũ parare notitia. Verũ  
 de hoc capite longius fortè agam, vbi peruenero in  
 Africam. Nunc de meo itinere certioſorem te faciar.  
 Cũ iam naſtus præceptorem nihil videbam mihi de-  
 eſſe præter codices, & eos in Hiſpania conſequi non  
 poſſem, ſtatu mihi proficiſcendum eſſe in Africam. Ita-  
 que relicto præceptore apud Marchionem Granatæ ad  
 reditum, cum reliqua familia inde diſceſſi, hoc animo,  
 vt menſibus reliquis huius anni viuam Feſæ, inter Ma-  
 chometiſtas: ciuitas eſt celebris in Africa, haud aliter  
 atque Lutetia in Francia: viget ibi Machometiſmus, &  
 ingens eſt doctorum copia. Non poſſum conquieſce-  
 re, priuſquam perueſtigauero omnia illorũ fundamen-  
 ta, & vniuerſos comparauero libros, quibus impia ſe-  
 cta continetur. De conſiliis meis tecum ſum latè actur-  
 us, ſi Deus me illuc duxerit incolumem. Interim  
 ora pro me, & ſi quid pro tua prudentia me monendũ  
 vides, vt ſerue præceptoris libertate. Deſedi hĩc in Euro-  
 pæ finibus in oppido Gibalaltar hebdomadis tribus;  
 tantus eſt enim Neptuni fragor, vt nauigatio non ſit  
 tuta, & ſi traiectus non ſit niſi horarum trium aut qua-  
 tuor. Rectè nauigamus Septam, quod oppidum Luſi-  
 tani tenent firmo præſidio, & alioqui iam in annos vn-  
 decim pax eſt inter nos & Regem Feſæ, vt vtrò citroq;  
 mercatoribus commeari liceat. Spero præfectus præſi-  
 dij Septenſis ſic mei curam habebit, vt ſaluus veniam  
 Feſam, quæ inde diſtat triginta leucis. Nunquam me  
 dignatus eſ literis tuis, dum iam octo abſum annos: ſal-  
 tem epiftola conſolaberis exulantem in Africa. Bene  
 vale, mi præceptor, cum omnibus magiſtris noſtris. ve-  
 ſtris omnium precibus meum committo exilium. E  
 Gibalaltar, VII. Aprilis. Anno M. D. XL.

NICO-